



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punct. Diff. 3. Ad quid detur gratia sufficiens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

ratur, quæ desertio non est intelligenda de auxilio efficaci. Ratio: quia de facto Deus deseruit aliquos, v. g. Angelos malos & Adamum gratiâ efficaci, antequam ipsum deseruissent. Neque enim ad primum peccatum præsupponebatur aliud peccatum. Ergo deseruit Deus, etiam auxilium sufficiens non conferendo.

RESPONDETUR. Hunc locum posse accipi de gratia habituali quæ non aufertur ante peccatum. Potest etiam accipi de gratia actuali, quia scilicet, nulli negat gratiam suam concomitantem, nisi stet per malitiam ipsius hominis nolentis operari: Quando autem alicubi negat Aug. quod Deus omnes homines etiam à parte sua voluerit salvare, intelligendus est quod non voluerit omnes à parte sua eodem modo salvare, quia non omnes efficaciter, nec à parte sua Deus selegit auxilium, cum selectio illis ad Deum spectet.

6. AUCTORITAS est, ex Epist. 106. ad Vitalem col. 6. ubi cum dixisset: Scimus majoribus ad singulos actus dari gratiam, subdit, *Scimus eis quibus non datur* iusto iudicio Dei non dari: qui locus accipiendus de gratia sufficienti: quia etiam majoribus non ad singulos actus datur gratia efficax.

RESPONDETUR. Videri has duas propositiones contradictorias, quia si majoribus ad singulos actus datur. Ergo non denegatur. Hinc in priori propositione loquitur August. de gratia sufficienti, quæ est indifferens ad sufficientem proximè & remotè; in posteriori autem loquitur vel de gratia efficaci, vel de gratia proximè sufficienti.

7. AUCTORITAS ex Lib. 1. Retract. cap. 15. *Qui verò inquit cogenti cupiditati bonâ voluntate resistere non potest, ideo facit contra præcepta iustitiae, cum hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati*: Ubi August. agnoscit non posse resisti cupiditati.

RESPONDETUR. Cum dicat August. non solum illic esse pœnam peccati, sed etiam esse peccatum, debet intelligi dari auxilium sufficiens. Ly ergo illud non potest, vel intelligitur de non potest facile, vel non potest proximè, vel ex suppositione dissensûs.

Punctum Difficultatis 3.

Ad quid detur Gratia sufficiens?

COMMUNIS est persuasio Thomistarum, gratiam sufficientem dari quidem ad posse agere, sed non dari ad agere actu. In præsentī concedendum est, quod si detur gratia non nisi remotè sufficiens, ea hoc ipso non possit agere proximè actu, hoc ipso enim non esset posse remotum. Sed quod gratia sufficiens proximè detur non tantum ad posse agere, sed etiam ad agere actu, de hoc in præsentī discurrendum.

DICENDUM est. *Gratiam sufficientem dari etiam ad posse agere actu.*

PROBATUR 1. Auctoritate Trident. quam proponit Suar. l. 4. cap. 7. quem consule, accedit Auctoritas Catechismi Romani, in expositione Orationis Dominicæ ad verba Dimitte nobis. *Nemini inquit, dubium esse potest, quin ille auctore in nostra potestate sit, nobis Dei gratiam conciliare.* Ubi non dicit posse conciliare; sed conciliare quod actum importat.

PROBATUR 2. Variis Auctoritatibus PP.

I. Sit August. Lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Noluit ergo Esau & non eucurrit, sed & si voluisset & eucurrisset.* Dei adiutorio pervenisset, ubi ut vides, non concurrat actuale. refert August. in noli illius, & non in defectum posse actu currere.

II. Est Fulgentii quam recitat Ruiz, de Prædestinat. d. 39. S. 2. ex epist. 7. ad Venantium. *Multus est ad ignoscendum, in quo multo nihil deest, in quo est omnipotens misericordia, & omnipotentia misericors est, deesset autem illud posse operari actu.*

3. AUCTORITAS est Cyrilli, Lib. 1. in illis: ubi illa verba, quid est quod debui facere ultra Vineæ meæ, dicit: *Si nullius rei indigam fuir, profectò neque alicujus auxilii omnino necessarii.* Certè autem deesset auxilium omnino necessarium, si non daretur id, quod possit agere actu.

PROBATUR 3. Quia, si gratia sufficiens (supple proximè) esset ad posse agere, & non esset ad posse agere actu, & esset ad posse agere, ut supponitur, & non esset ad posse agere, ut probatur: quia posse agere, est posse actu, seu actionem: agere enim infinitivum, & actio seu actus pro eodem sumuntur. Si autem illud auxilium est ad posse agere. Ergo & ad posse agere actionem, seu actu, hæc enim verbis differunt: Nam quamvis posse actionem, & agere actu, non sint idem, tamen posse actionem, & posse agere actu idem est: quia actio semper est actu actuale, hinc posse actionem, erit posse agere actu.

Idem medius terminus sic aliter proponitur. Posse agere necit secum essentialiter posse actu agere. Ergo si gratia sufficiens datur ad posse agere, hoc ipso datur ad posse agere actu. Antecedens probatur. Tum quia, Potentia Visiva, auditiva, & alia innectunt secum essentialiter posse actuale visionis, auditionis, &c. Unde etiam, quia visiva non habet posse actuale auditionis, rectè inferitur à posteriori, nec habet posse auditionis, idque ex nexu inter hæc duo posse agere, & posse actu agere. Tum quia, Potentia quæ essentialiter non potest agere actu, non est potentia ad agere: ex nullo enim capite potest dici posse agere, si implicat ut agat actu: quid enim potest, si implicat ut illud faciat; quia illud ly implicat, supponit pro ly non potest. Unde si implicat illud agere actu quod potest.

potest facere, hoc ipso non potest facere quod potest facere; quæ duo sunt implicatoria, potest enim agere ut supponitur, non potest autem agere, quia implicat ut agat. Nam Ly implicat supponit pro non potest.

Neque valet si dicas, quod illi gratiæ, quæ est ad posse agere, licet non ad posse agere actu, quod inquam illi gratiæ non sit impossibile agere, sed tantum sit impossibile agere actu. Non inquam valet. Quia si illi est impossibile agere actu, est impossibile agere, cum non agatur nisi actu. Sicut si impossibilis est alicui visio, impossibile etiam, est videre, cum illud videre, visione exerceatur.

Tum quia, implicat ut illud posse agere non dicat ordinem transcendentalem ad aliquid in linea posse agere. Sicut intellectus dicit ordinem transcendentalem ad intellectiones, voluntas ad volitionem. Si autem gratia sufficiens daretur non nisi ad posse agere, ad quid rogo diceret ordinem transcendentalem? non ad effectum seu actionem: quia hæc illi implicat, nihil autem aliud ostendi potest.

Neque valet dicere, quod gratia sufficiens datur quidem non tantum ad posse agere, sed & ad posse agere actu, licet non datur ad agere actu: quia hoc ipso nostram sententiam tenebis: non enim jam defectum actionis rejicere poteris in ipsam gratiam, sed in malitiam creaturæ.

Tum quia, nihil potest constitui sibi opposito: hoc ipso enim non esset hoc quod est, si sibi opposito seu eo, quod non est, constitueretur. Ergo nec posse agere constituitur sibi opposito. Sed ipsi posse agere, est oppositum non posse agere, sunt enim hi contradictorii termini. Ergo etiam ipsi posse agere, est oppositum non posse agere actu, quod ipsum probatur. Quia in re non posse agere actu, & non posse agere sunt idem, sicut in re idem sunt, non posse existere actuali existentia, & non posse existere. Sicut enim existere exerceatur actuali existentia, ita & agere actuali actu, quia ipsum posse agere, involvit actu.

Objicitur 1. Si gratia sufficiens, non tantum daret posse agere, sed posse agere actu, nullo distinguetur à gratia efficaci.

Respondetur. Illam fore distinguendam, non quidem in ratione entis, sed in ratione doni, distinguunturque non ratione posse agere actu, quod importat rationem virium, sed ratione connotatæ, vel non connotatæ operationis.

Objicitur 2. Ad operandum non solum est necessarium auxilium præveniens, sed etiam cooperans. Sed gratia sufficiens excludit cooperantem. Ergo non adfert omnia necessaria ad operandum.

Respondetur. Dupliciter posse nos spectare auxilium cooperans, in actu primo, & in actu secundo. In actu primo spectatum est auxilium præparatum à voluntate Dei, si homo velit operari. Sic sumptum auxilium cooperans

est necessariū, habeturque in omni auxilio sufficienti; in actu autem secundo auxilium cooperans, est actualis exhibitio illius auxilii, & sic tale auxilium non datur quidē sine ipsa actuali operatione, quam non habet sufficiens, sed etiā non est ad agendū necessarium: quia non distinguitur ab ipsa actione causæ secundæ, quæ ad se ipsam per modum principii non est necessaria. Confule de hoc Suarez Lib. 4. de Aux. cap. 4. n. 12.

Objicitur 3. Auxilium efficax importat operationem; quæ ipsa operatio est gratia: ex qua propositione duo sequuntur. Imprimis: quod in auxilio sufficienti non reperitur aliqua gratia, quæ reperitur in efficaci: Deinde: quod illa non datur ad operari actu: quia dari illam ad operari actu, est dari cum illa gratiam illam operationis.

Respondetur. Quod operatio ipsa gratiosa sit quidem gratia. Unde etiam ipsam actualem Beatitudinem appellat August. alicubi gratiam, sed non est gratia sumpta pro viribus operandi, sed gratia sumpta pro dono, & quasi effectu virium operandi. Unde non reperitur quidem in auxilio efficaci aliqua gratia sumpta pro ratione virium, quæ saltem in actu primo proximo non habeatur in sufficienti proxima gratia, licet reperiat in ipsa met efficaci adjutorio, sed sumpta pro dono aliquo gratuito, & effectu virium.

DIFFICULTAS II.

Quid velit illud Principium. Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.

Inter fundamenta quare datur gratia sufficiens usurpari solet illud Axioma; facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. Ripalda disp. 20. ponit 8. diversos sensus prædicti proloqui, attingemus speciales.

Explicant 1. Aliquis facienti quod in se est ex viribus naturæ Deus non denegat gratiam supernaturalem. Et isti opesibus ex solis viribus naturæ factis tribuunt meritum de congruo, aut vim dispositivam, & quidem quod habeant rationem meriti de congruo docuit Durandus, Gabr. referens pro se Occham. & Scot. his adde Almain. Majorem. Javell. Turrecrem. Cumerar. & S. Th. in 2. dist. 28. q. 1. a. 1. Sed dicitur retractasse 1. 2 d. q. 109. a. 6. quanquam Nofter Valq. ubiq; dicit contrarium fuisse S. Thomam huic explicationi. Quod prædicta opera remotè non nisi disponant ad justificationem, eò quod proximè mereantur non nisi auxilia actualia supernaturalia, ita docuit Driedo, Becanus, Henricus, Conradus, Viguerius, Gerſon: Alens, Scotus, Cajet. quos recitat in particulari Ripalda disp. 16. S. 1. his accessit suo modo Lessius de Auxil. append. ad cap. 10. & Arriaga in MS. ut se refert hic disp. 41. n. 14. Hæc Explicatio

NON